

habitationis nostrae sub anno domini millesimo quadringentesimo quarto indictione duodecima vicesima die mensis Martii — praesentibus ibidem providis et discretis viris magistro Hinrico Strazzeburch cive Magdeburgensi, Johanne Stradow et Johanne Pauli clericis et notariis publicis Misnensis et Brandenburgensis diocesum, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Signum notarii.

Et ego Hermannus Warendorp clericus Hildesemensis diocesis publicus imperiali auctoritate notarius una cum praefatis testibus praedictarum litterarum apostolicarum productioni lectioni — aliisque omnibus et singulis praemissis — praesens interfui eaque sic fieri vidi et audivi. Ideo hoc praesens transsumptum nil addendo vel minuendo quod sensum mutat vel variat intellectum manu mea propria conscriptum — de verbo ad verbum fideliter transsumpsi copiavi et exemplavi, et de mandato dicti domini Johannis in spiritualibus vicarii in hanc publicam formam redegisti signoque et nomine meis solitis et consuetis una cum appensione sigilli vicariatus in spiritualibus roboravi rogatus et requisitus in fidem omnium et singulorum praemissorum.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Siegel an einem Pergamentstreifen.

No. 773. 1404. 4. Apr.

*B. Thimo ertheilt Denen, welche den in der Pfarrkirche zu Schweinitz wöchentlich Donnerstags stattfindenden Messen der Kalandbrüderschaft andächtig beiwohnen etc., 40 Tage Ablass.*

Thimo dei et apost. sedis gratia episcopus Misnensis omnibus Christi fidelibus —. Ut Christi fideles utriusque sexus ad venerationem salutaris hostiae corporis et sanguinis domini nostri Jhesu Christi maiori devotione incitentur, qui in ara crucis totius mundi lavit delicta, omnibus Christi fidelibus, qui missae fraternitatis seu kalendarum, quae in ecclesia parochiali in Sweynicz per anni circulum singulis quintis feriis de corpore Christi solempniter cantari solet, devote interfuerint et oraverint seu eam cantari iuverint, aut manus adiutrices ad eandem porrexerint, ut in esse suo possit conservari, de quolibet dierum praedictorum, quo hoc fecerint, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius confisi suffragiis de iniunctis eis poenitentiis quadraginta dies indulgentiarum misericorditer in domino elargimur. Inhibemus tamen, ne quis cum praesentibus elemosynam hostiatim postulet. Datum Sweynicz anno domini millesimo quadringentesimo quarto die quarta mensis Aprilis.

Nach Grundmanns cod. dipl. episc. Misn. Vol. V. fol. 1231 und Supplem. Vol. I. fol. 22 im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.

No. 774. 1404. 8. Sept.

*Das Domcapitel zu Naumburg verpflichtet sich auf Ansuchen des Decans zu Meissen Johann von Pötze das Jahrgedächtniss der Eltern und Brüder desselben und nach seinem Ableben dessen eigenes in der Naumburger Domkirche festlich zu begehen.*

In nom. dom. amen. Nos Johannes praepositus, Heynyngus decanus, Theodericus de Goch thesaurarius, Hermannus de Hogenist, Rudolfus de Plawenitz, Hein-